

1.9.18 (nach G. A. Spangenberg)

**Ἐλὴν Ἰουδαῖος Χριστιανὸν πρὸς
τὴν οἰκείαν θρησκείαν ἐφελκύ-
σαι τολμήσῃ, δημεύηται, καὶ
τὴν δι' αἵματος τιμωρίαν ὑφίστα-
ται.**

1.9.19

Idem AA. Florentio pp.

Hac victura in omne aevum lege sancimus neminem Iudaeum, quibus omnes administrationes et dignitates interdictae sunt, nec defensoris civitatis fungi saltem officio nec patris honorem adripere concedimus, ne adquisiti sibi officii auctoritate muniti adversus Christianos et ipsos plerumque sacrae religionis antistites velut insultantes fidei nostrae iudicandi vel pronuntiandi quamlibet habeant potestatem.

1 ¶ Illud etiam pari consideratione rationis arguentes praecipimus, ne qua Iudaica synagoga in novam fabricam surgat, fulciendi veteres permissa licentia, quae ruinam minantur.

2 ¶ Quisquis igitur vel infulas ceperit, quaesitis dignitatibus non potiat, vel si ad officia vetita subrepserit, his penitus repellatur, vel si synagogam extraxerit, compendio catholicae ecclesiae noverit se laborasse: et qui ad honores et dignitates inrepserit, habeatur, ut antea, condicionis extremae, etsi honorariam illicite promeruerit dignitatem: et qui synagogae fabricam coeperit non studio reparandi, cum damno auri quinquaginta librarum fraudetur ausibus suis.

3 ¶ Cernat praeterea bona sua proscripta, mox poenae sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnavit perversa doctrina.

D. prid. k. Febr. Constantinopoli Theodosio A. XVII et Festo cons. [a. 439]